



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

est super nos, in illis præcipue quæ per vos sine ruga duplicatis pura intentione tractamus. Illa quippe veritatis promissio dicentis ad Simonem, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam*, quasi firmissima spei anchora navem Ecclesiæ per pelagus hujus seculi sic deducit ut nec demergatur in Scyllam, nec incidat in Charybdim, quantumlibet quatiatur interdum inter turbines & procellas. Ea igitur quæ nobis de perfido Vvaldemaro scripsistis, licet proposito vestro videantur adversa, speramus tamen in eo cui venti & mare obediunt imperanti quod prospera vobis fient & convertentur in bonum, quemcumque assumptum negotium exitum fortietur. Unde spem in illo ponentes qui beatum Petrum ambulatam in fluctibus, ne mergeret, erexit, dicens ad illum, *Modice fidei, quare dubitasti*, ut doceret indubitam semper de ipso fidem esse tenendam, injunctum vobis legationis officium exequimini, tam super hoc quam etiam super aliis Domino inspirante facturi quod ad honorem & profectum Ecclesiæ videritis expedire, illud semper habendo præ oculis quod Dominus discipulis suis ait: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae*. quod & nos præ oculis habere studemus. Luipuldum verò non venistis apud Senas hostilibus actibus implicatum, ad nostram præsentiam non venisse; cujus insolentiam & stultitiam diligenter Principi exponatis, vestrum nobis significaturi progressum quotiens oportuerit; ut nostris instructi consiliis & exhortationibus roborati, securius procedatis ad ea quæ vobis frequenter occurrunt.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN
Augustum electo.

Epist. 150.

Letteras tuæ serenitatis accepimus, & quæ continebantur in eis notavimus diligenter, super eis opportuno tempore processuri sicut viderimus expedire. Quia verò adversarius tuus solemnes nuntios ad præsentiam nostram disposuit cum Cardinalibus destinare, prudentiam tuam sollicitam reddimus & attentam ut & tu nuntios tuos providos & fideles mittere non omittas, ne tuum remaneat negotium indefensum; satisque poteris illis venerabilem fratrem nostrum Cameracensem Episcopum in procuracione negotij sociare, quem profectò devotum tibi novimus & fidelem.

E I D E M.

Epist. 151.

Affectum dilectionis & gratiæ quem ad tuam regalem personam habuimus & habemus non oportet nos verbis exprimere, cum hæc operibus expresserimus, & amodo etiam exprimere intendamus, in tantum ut nuntij partis adversæ publicè conquerantur quod dominus eorum meliorem potuit tecum pro se quam possit nobiscum pro te compositionem inire. Quid autem tractatum sit & dispositum per nostros Legatos & tuos nuntios in brevi tibi curabimus intimare, quorum adventum cum gaudio præstoleris.

DOMINO PAPA.

Sacratissimo Patri suo & Domino Innocentio divina providentia summo Pontifici, Hugolinus misericordie divina Oñtensis & Vvelletrensis Episcopus, cum debita devotione salutem. Cum essem Mantuæ, ibique Dominum * Cardinalem corporis infirmitate gravatum per dies aliquot expectassem, feria secunda proxima post festum Apostolorum Petri & Pauli de morte Domini Philippi graves invalere rumores, eademque die mercatores Placentini qui mercimonis suis à Comite Hugone de Munfort in ducatu Sueviæ fuerant spoliati, sumiter asserentes Dominum Philippum à Comite Palatino Bavariæ nequiter interemptum, ad Curientem Episcopum & Abbatem sancti Galli à me super restitutione direptarum rerum commonitorias litteras impetrarunt. Viatores quoque & peregrini ac litteræ Episcopi, Decani, & Capituli Tridentini Domino Patriarchæ * etiam ejusdem rei seriem concorditer referentes, direptiones & prædæ, occupationes regalium quæ à Comitibus & Castellanis, sicut à multis dicebatur, ceperant exerceri, argumentum maleficij commissi validum inducebant. Tandem cum ad preces & instantiam Domini Patriarchæ & sociorum ipsius usque Veronam ivissem ut hujus rei cum ipsis certitudinem expectarem, nuntius fratris Luipuldi Vvarmatisensis, qui ad ipsum Luipuldum quantum poterat properabat, de loco in quo facinus fuit commissum se venisse cum festinatione dicebat, qui coram Patriarcha & sociis suis, me præsentem, tristis casum tristem exposuit eo ferè modo & ordine quo exprimebatur in litteris Capituli Tridentini per cursorum proprium, quem illic transivissem, destinatis. Dixit enim quòd Sabbato proximo ante festum sancti Iohannis Baptistæ, quo treugas interpositas Dominus præviderat non sine alterius exterminio terminari, Dominus Philippus cum paucis de familia sua, exercitu in campo dimisso, civitatem Papenbergensem intravit, eoque hora nona in palatio Episcopi quiescente, dictus Palatinus Comes, cui Dominus Philippus filiam dederat & abstulerat, cum Duce Bavariæ & Marchione Istriæ fratre ejusdem Episcopi & aliis decem viris armatis palatium in quo Dominus Philippus erat ingressus, pulsansque ad ostium cameræ, more admittitur conueto; à quo cum Dominus Philippus verba jucunda & jocularia, sicut consueverat, expectaret, ille statim cultellum quo erat accinctus exeruit, & Domino Philippo gladio ludere prohibenti respondit, *Non erit hic tibi ludus; & incontinenti, Dei timore postposito, ipsum transfodit gladio, & Henrico * imperij Senescalco facinus prohibere volenti lethale vulnus infligens, cum quem jam occiderat timens vivere jugulavit; & sic homicida fautorum suorum auxilio munitus exiit, ac piaculare flagitium, toto jam dissoluto exercitu, adhuc, sicut Domino placuit, exitit impunitus. Officio igitur legationis in junctæ judicio divini numinis expirante, ad vos cum festinatione regredior; à quo invitatus, licet obedire non renuens, sum egressus.*

ILLVSTRI REGI OTTONI
in Romanorum Imperatorem electo.

Novit ille qui scrutator est cordium & cognitor secretorum quod personam tuam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta diligimus & ad honorem & profectum tuum efficaciter aspiramus, sicut opera manifestant quæ pro te non dubitavimus exercere. Licet autem te deseruerint quasi solum amici pariter & propinqui, nos tamen in tua dilectione constantes, ea studio diligenti non desistimus operari quæ secundum tempus tibi credimus expedire, vigilantes pro te quando tu forsitan dormiebas; quin etiam propter te multa passi sumus adversa, quæ nec etiam tibi volumus intimare cum adversitas te premebat. Quidam enim civium Romanorum adversarij tui corrupti pecunia gravem seditionem adversus nos commoverunt in urbe, consanguineis nostris

Epist. 152.

* Leonem iii. s. cruci.

* Aquilensis.

Vide Arnold. Luc. lib. 7. c. 14.

* Vide Casar. Hist. lib. 6. c. 26.

Epist. 153.